

ipsis nocent, quia nesciunt arma tractare; vel lectum in tenella manu sua magis sentiunt icientes, quam ieti. Idem contingit iis, qui seipsum radicant; gravius in animo vulnerant se, quam adversarios. Quemadmodum et apes, dum spiculam homini infigunt: ipsae enim, amisso spiculo, pereunt; plaga autem modico luto mox sanatur; quo videtur insinuasit David, Ps. CXVII. cum ait de inimicis suis: *Circumdederunt me sicut apes.* Nequit enim apis aculeum exere sine viscerum eruptione, teste Aristotele, l. III. animal. c. XII. Plinio, l. XI. c. XVIII. Accedit S. Chrys. in Ps. VII. « Si contumelia, inquit, affecerit (inimicus) magno animo et forti feramus; seipsum enim, non te affecit injuria; et si percussit, ne dexteram contra tendas. Ipse est enim qui verberatur: te quidem manu, sed se ira pulsans, et sibi malam apud omnes opinionem conciliant. Si quis enim furens vestem tuam laecerat, quemnam dixeris mala pati? Tene, qui passus es, an illum qui male fecit? Clarum est, quod illum: » et inferius: « Fecit aliquis injuriam? Ego seipsum confodit. Non enim male affectum esse, sed male affecisse, hoc vero est mala pati. » Illate injuriae revolvunt in caput auctoris; quomodo lapis ab Agricola praefecto missus in martyrem, reversus in os jaculantis, foede id contrivit, in vita quatuor martyrum militum sub Ricinio, 9. martii. Flammæ, lapides, sagittæ immisæ in SS. Cosmam et Damianum rediere in auctores, eosque graviter læsere, 27. sept. apud Sar. Verissimum ergo id Ecclesiast. cap. XXVIII. *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam.* Galli gallinacei, quos Indiacos vocamus, oderunt vestitum rubrum, et rostris eum impetunt atque insectantur. Quare ante paucos annos puer quidam rubris indutus duxit post se illorum gregem ex Austria Ratisbonam usque, solo coloris odio ipsum sequentes, ubi is comitiorum tempore eos vendidit, jugulandos ad culinam. Pergunt etiam ad macellum dæmonis, qui odio æstuant, proximum insectantur, ut vindictam sumant. Fuit sanesimilis amentia plenus, qui anno 1560. ex Lassitania in Indiam per tot mortis pericula navigavit, ea solum de causa, ut inimicum suum in India interficeret; quem tamen ibi p. Arboreda de societ. nostra Dei nutu deprehensum, ad saniores mentem reduxit, ut est in II. tom. annal. soc. nostræ. Quorsum hic ivisset, si in mari periisset? Nonne ad infernum? Sic enim Ezech. XXXI. dicitur: *Descenderunt ad infernum cum aversis suis.* Bene S. Chrys. hom. XLI. in Act. apost. *Melius, inquit, esset, viperam vel serpentem in corde positam esse, quam iram vel invidiam. Nam illa quidem statim nos liberarent; hæc autem manet*

semper, dentes fortiter infigens inmissoque veneno, pessimiarum cogitationum exercitus producit. Neque solum animam ita sauciat vindictæ appetitus, sed præterea etiam medelæ aditum præcludit. Cæteri enim peccatores, etsi in peccati statu mereri nihil possint, neque satisfacere Deo, orare tamen possunt, et impetrare tandem veniam. At vindictæ cupidus nec orare quidem potest, cum oratio fiat ei in peccatum. Unde Ecclesiast. cit. loco subdit: *Peccata illius servans servabit* (Deus) h. e. non remittet. Ecce hoc? Audirationem mox subjectam: « Relinque proximo tuo nocenti te: et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram: et a Deo quærit medelam? In hominem similem si non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reservat iram: et propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis illius? » Certe servus nequam in hoc evangelio, postquam adeo tyrannice invasit conservum, ideoque ad pœnam retractus est, non est ausus gratiam iterato petere a rege suo, quia repulsam timuit, qui conservo roganti repulsam dederat. Quisquis ergo Deum vult habere *multum ad ignoscendum* proximo, sit etiam ipse multus ad ignoscendum proximo.

Vidimus quanto in errore sint, qui pro viris fortibus habent homines vindictam spirantes: pro pueris vero et effeminatis eos, qui injurias condonant. Contrarium Deus asserit. Mundus ergo fallitur; quem vos spernit velut stultum et infantem: *Nolite pueri affici sensibus*, ait apostolus, II. Cor. XIV. *sed malitia parvuli estote. Sensibus autem perfectiores estote.*

CONCIO III.

DEUM PRESENTEM PRÆ OCVLIS NON HABERE QUAM MALUM.

I. Hinc transgredimur legem Dei. — II. Hinc tam tepide oramus. — III. Hinc tam incauti et leves sumus in moribus. — IV. Hinc insolescimus, et laudibus delectamur. — V. Hinc multi hypocritæ. — VI. Hinc timemus in periculis. — VII. Hinc languemus in bene operando.

THEMA.

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis. Matth. XVIII.

Jure miretur aliquis quomodo fieri potuerit, ut servus ille paulo ante a domino suo dimissus condonato omni debito, tam crudelis esset in conservum, ut obtorto collo suffocaret precipiden-

tem ac rogantem, nec non solutionem promittentem minime audierit, sed in carcerem detruserit. Quæ verò hujus sævitæ causa? Nulla sane alia, nisi quam indicat Matthæus illis verbis: *Egressus autem servus ille.* Nam si præsentem domino suo conservum reperisset, num putatis, auditores, tam dure et tyrannice eum invasisset? Minime gentium. Oculum enim domini utique inhibuisset tantam crudelitatem. At ubi e conspectu heri sui egressus, reperit conservum, domino absente; ibi, abjecto omni pudore et humanitate, induit leonem, et dentes atque ungues injectit in conservum. Recte hoc advertit Theophylactus eo loco: *Nullum enim, inquit, qui in Deo manet, compassionis expers est; sed ille egressus erat, et a Deo nunc alienus erat.* Idem prorsus accidit, quando a Dei conspectu egrediuntur homines, non cogitando ipsum præsentem ubique sibi adesse; tunc enim, quasi extra Dei oculum positi, nihil non audent, quantumvis iniquum et absurdum. Egressus est foras Judas a cœna et conspectu Christi, et prodidit magistrum suum. Denique, ipse Satan non nisi ubi egressus est a facie Domini (Job I.) vexare cœpit Jobum. Patet igitur quam malum et periculosum sit egredi a conspectu Dei, ejusque omnipræsentis memoriam deponere; id quod hic pluribus ostendimus.

I. Unde, obsecro, contingit, ut mandata Dei, quæ ipse: *Mandavit custodiri nimis* (Psal. CXVIII.) sub interminatione ignis æterni, audemus prævaricari? Causa non est alia, nisi quia non versamur mente et cogitatione nostra in conspectu presentis Dei: *Oblitus est Israel factoris sui*, ait Oseas, cap. VIII. *et ædificavit delubra.* Quomodo delubra falsis diis in conspectu Dei? Quia nimirum oblitus fuit veri Dei presentis, et omnia insipientis. Figurata id expressum a Maria, sorore Moysis, quæ apparuit leprosa, quando Deus ab ea abiit, nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum. Mox enim sequitur: *Et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix*, Numer. XII. Nubes erat monumentum Dei presentis: tolle hoc memoriale, et lepra peccati invadet te. Pisces subterranei atrii et venenati sunt, ut in Ana Bœoticæ Hispaniæ flumine, et in septentrionalibus terræ civitatibus, apud Olaus Magnum, in descript. aquil. gent. quia lucem solis non aspiciunt. Ne dubites et illos peccatis infectos esse, qui presentiam solis æterni præ oculis non habent. Id enim expresse ait Psalmo IX. David: *Non est Deus in conspectu ejus: inquinata sunt viæ illius in omni tempore.* Exemplo est Adam, qui si Deum sibi semper adesse cogitasset, nunquam peccasset. Id ex eo ostenditur, quia se abscon-

dit, cum Deum visibili forma adventantem sensit. Si ergo, patrato jam peccato, coram eo apparere non est ausus, multo minus, eo præsentem, peccatum admisisset; adeoque non peccasset, si omni præsentem cogitasset. Interrogemus duos illos judices senes, pudicitia Susannæ insidiatores: Quomodo adulterii scelus attentare potuistis, quod in aliis condemnastis? Quia: *Ostia pomarii clausa sunt, aiunt, et nemo nos videt*, Daniel XIII. At nonne Deus aderat, vosque videbat? Ita profecto; sed ad hoc non attendebant, Dei immemores erant: attendit vero Susanna, quæ dixit: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini*, quasi dicat: Conspectus Dei nullo modo permittit tale scelus ut admittam. Absternit hoc fræno a peccato mulierem impudicam Sanctus Ephrem, et aliam S. Paphnutius, ut in vitis patrum videre est, et vulgo fere notum. E contra qui Deum inspectorem cogitant, mandata Dei omnia sedulo observant. Ita David, Ps. CXVIII. *Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.* Hinc Henoch Deo placuit, et vivens translatus est: *Cum Deo ambulavit*, Gen. V. Zacharias et Elisabethi justi ambo, quia: *Incedentes erant ante Deum in omnibus mandatis*, Luc. I.

II. Quare in oratione nostra tam tepidi, vagi et distracti sumus? Quia Deum orantibus adesse, et aurem admovere non cogitamus. Testis est præcatus Basilius, interrog. XXI. « Quæ causa est, inquit, cur animus temere evagetur, et variis cogitationibus repleatur? » Et respondit: « Quod Deum adesse non credit, qui scrutetur corda et renes. Si enim hoc crederet, prorsus illud faceret quod dictum est Psalmo VII. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi*: » et interrogatione CCI. « Quomodo quis assequi possit, ait, ne inter orandum mente distrahat? Nimirum si certe credat Deum se ante oculos habere. Si enim principem aliquis ant præsidem intuens, et cum eo loquens, oculos ab eo dimovere non solet; qui non credibilis est intentam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibeat, in eum qui scrutatur corda et renes? » Certe primatum qui coram imperatore Turcarum stant, nemo semovet, nemo mussitat, nemo tussit, nemo circumspicit, aut oculum a principe avertit, teste oculato Busbequio, Ferdinandi imp. oratore, in epistola. Qui igitur putatis coram Deo adstandum erit? Videamus Abrahamum in monte Moria injunctum sibi sacrificium peragentem, et simul orantem (sic enim ipse dixerat: *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos.*) Tam intentus ad orationem et sacrificium fuit, ut nihil aliud audire vel cernere videretur. A tergo habuit arietem,

cornibus hærentem inter vepres, nec tamen vidit vel audivit eum, nisi postquam voce angeli percussus: *Levavit oculos suos*, quasi prius nunquam circumspexisset. Ad hæc repetito nomine revocatur ab angelo: *Abraham, Abraham*, quasi primam appellationem, intentus nimium operi pio, non audivisset, et proinde iterum appellandus fuisset. Ita enim Sanctus Chrysostomus in eum locum, hom. XXXVII. *Bene et hic*, inquit, *gminatione usus est, ut superetur impetus justî, et quasi per vocem detineatur, dextera jam tendens ad pueri cædem*. Denique, summo silentio totam hanc tragædiam lusit, nihil omnino interloquens. Quæ causa virum istum tam intentum operi fecit, ut a sensibus omnibus quasi abalienaret? Nimirum vidit Deum huic spectaculo præsentem adesse, omniaque intueri. Idcirco enim nomen montis appellavit: *Dominus videt*, Gen. XXII. Ac propterea ne in oratione et sacrificio suo turbaretur, reliquit ad pedem montis asinam et pueros suos, solusque ascendit in montem una cum filio. Hunc igitur in modum docet nos orare cum Abrahamo, ut explicat S. Bernardus in eum locum: *Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, et omnia interiora mea, venite, ascendamus in montem, ubi Dominus videt, vel videtur. Curæ, sollicitudines, anxietates, pænæ, servitutes, expectate me hic cum asino, corpore isto, donec ego cum ratione scilicet et intelligentia, usque illuc properantes, revertamur ad vos*.

III. Unde quæso, tam incauti et dissoluti, tamque leves et petulantes sumus in nostris moribus vitæque conversatione, nisi quia ad Deum nos aspicientem et præsentem minime attendimus? *Ambula coram me*, ait Dominus Abrahamæ, Gen. XVII. *et esto perfectus*, Septuag. vertunt: *Esto irreprehensibilis* in actionibus tuis omnibus. Nam, ut in eum locum Cajetanus ait: « Nullum majus frænum, nulla efficacior ratio componendi gestus, motus, verba et actiones hominis, quam ambulare ante faciem principis. » Epicurus philosophus ad amicum quemdam: *Sic fac*, inquit, *tamquam spectet Epicurus*. M. Cicero etiam, ut componeret mores fratres sui Quinti Cicer. ad eum scribit: « Id facillime facies, si me, cui semper unice magis placere voluisti, tecum esse semper putabis, et omnibus his rebus, quas dices et facies interesse. » Seneca denique ad Læl. « Aliquorum te auctoritate custodi, sive Cato ille sit, sive Scipio, sive Lælius, aut cujus interventu perditî quique homines supprimerent vitia. » Multum hoc in ethnicis, sed altius consilium est cogitare semper præsentem Deum. Nam in hoc nil opus ulla fictione, cum revera semper præsens nobis adsit. Deinde, ipse videt non solum

exteriora, sed etiam interiora nostra. Denique tamquam censor et iudex actuum nostrorum redditurus aliquando cuique secundum gesta sua. Quare si imaginaria viri gravis præsentia componere mores nostros potest, nec componet vera ipsius Dei? S. Bernardinus Sennensis adhuc adolescens tantæ apud coævos litterarum studiosos, ob vitæ modestiam et graves mores, auctoritatis erat, ut si forte illi inter se de rebus parum honestis sermones miscerent, viso Bernardino, mox dicerent: *Facessant hi sermones, ecce enim Bernardinus adest*, ut in ejus vita. Sur. 20. maii. Lepidus triumvir deductus a magistratibus in numerosum hospitium minaciter cum iis postero die expostulavit, somnum ademptum sibi, volucrum concentu. At illi draconem in longissima membrana depictum circumdedere loco, eoque terrore aves tum siluisse narratur, et postea cognitum ita posse compepsi, refert Plinius, l. XXXV. c. II. Et nos ergo quoties audimus loquentes alios de rebus impudicis et similibus, cogitemus nos circumdari undique a Deo omnipræsente, qui in improbos sermones aliquando animadvertet instar draconis.

IV. Unde fit ut superbiat homo, et laudibus delectetur humanis? Quia coram Deo se versari non advertit. Si enim hoc adverteret, utique non hominibus, sed Deo spectatori cuperet placere, uti etiam docet S. Basilius, in reg. brevior. inter. XXXIV. ubi quærens: *Quomodo quis possit captandæ laudis humanæ vitium declinare* sic respondet: *Si sibi certo persuaserit ubique Deum adesse: siquidem est nemo qui cum in oculis Domini sit, cum illius dedecore, conservo suo malit gratiosus esse, quam illi*. Scimus quid præterito sæculo evenerit Annæ Bolenæ, Henrici VIII. Angl. regis putatæ conjugii, revera autem pellici, quando Grennici in publico spectaculo, et regis ipsius præsentia, sudarium uni equitum, amoris gratia adjecit. Id enim ubi conspexit rex, arguens se a sua despici, et amatori alteri postponi, Annam in discessu, priusquam rediret domum, corripit, et in captivitatem abduci, brevique post decollari jussit, Florimundus, de ortu hæc. l. VI. c. IV. Quis igitur audebit in conspectu Dei captare hominum laudes et applausum? Quis cupiet hominibus placere potius quam Deo? Quomodo id impune feret? Bene id expendit Abraham, quando ad præceptum Dei immolaturus filium (facto sane plusquam heroico, cui totus orbis in theatrum, et creaturæ universæ ad spectaculum et applausum vix sufficerent) de nocte surrexit, et re nemini indicata, dimissisque servis, solus cum filio montem altissimum et nemini tritum aut percultum ascendit, ibique ad opus virtutis plane

stupendum se accinxit. Nimirum cogitavit id, de quo monti nomen dedit, *Dominus videt*, seu *Dominum videbit*.

Hoc ipsi satis superque erat, quod Dominus videret, cui soli placere satagebat, Gen. XXII.

V. Unde, quæso, in mundo existunt hypocritæ, qui aliud præ se ferunt, aliud in corde gerunt? Quia nimirum Deum præsentem et cordium inspectorem non considerant. Ad quid enim malitiam suam in corde tegunt, nisi ut lateant? Et si cor suum Deo patere intelligerent, quomodo alios se fingere possent? Scimus uxorem Jeroboami, alieno vestitu consilium ab Achia propheta exquirentem, ubi detecta est a propheta (dicente: *Uxor Jeroboam, quare aliam te simulas?*) non potuisse amplius seipsam negare, III. Reg. XIV. nimium enim impudens fuisset, si jam deprehensa, adhuc aliam se simulasset; et præterea frustra laborasset. Quis autem frustra labore, ut se alium fingat? Sane mulier illa curata a fluxu sanguinis, ubi se a Christo deprehensam advertit: *Et vidit quia non latuit*, (ait Luc. c. VIII.) mox se sponte prodidit, et: *Dixit omnem veritatem*, Marc. V. *Cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, et pinxeris stibio oculos tuos, frustra componeris*, ait Dominus, Jerem. IV. Quid enim prodest furi, si ab aula tota nesciatur, a solo interim rege in furto deprehendatur? Relicta aliquando aperta fuit thesauri theca S. Eduardi regis Angliæ a cubiculario Hugolino: quod advertens quidam clam ingressus, magnum auri pondus iteratis vicibus inde sublegit, et abiit. Cumque tertio pedem inferret, tum rex: *Sufficiat tibi ablutum, apage hinc quantocius, ne superveniens Hugolinus te videat ac puniat*, ut in ejus vita, 5. jan. Quis hic non credat furem istum pene exanimatum esse? Qui si regem, licet solum, inspectorem scivisset, num illi quidquam furatus esset? Sic impingunt hypocritæ: modo Hugolinus non videat, modo homines lateat, Deum inspectorem non cogitant. Et quantum erit eorum dedecus, cum aliquando a rege illo oculatissimo detegentur et corripientur! Dicit hypocrita: *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, etc. et non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, etc.* Ecel. XXXII. Hominum oculos fallere potest, Dei oculos non potest. Venit aliquando ad Ælium Hadrianum imperatorem canescens quidam, petens nescio quid; negavit imperator. Ille paulo post decepturus Hadrianum rediit, sed infecto et fucato capite, eandem petitionem repetens. Cui imperator astum deprehendens: *Jam hoc patri tuo negavi*, inquit. Refert Spartianus. Frustra estis

hypocritæ, si ementita vestra virtute sanctitate cælum Deo expetitis: jam hoc immunditiæ vestræ negabit; videt enim fucum vestrum.

VI. Unde fit in periculis seu magnis seu parvis tam simus timidi et effeminati, pusillanimes et dejecti? Quia Deum nobis præsentem adesse non cogitamus. Patet in discipulis Christi, qui dum soli absque Christo navigarent nocte fere tota, et fluctus insurgentes naviculam obruerent, insuper phantasma se videre (Christus erat) existimarent; consternati sunt, et clamaverunt præ timore. At quam primum Christus dixit: *Habete fiduciam, ego sum*; omnis pavor eis ademptus est, Matth. XIV. et Joan. VI. Rationem dat D. Cyrillus, c. XXIII. *Cedit enim perturbatio, cunctaque pericula desinunt, cum Christus adsit*. Nec mirum; si enim nauclerum illum in tempestate trepidantem, et scaphæ cursum retro vertere statuentem, animavit Julius Cæsar ea voce: *Ne timeas, Cæsarem vehis et fortunam ejus*, apud Plut. in Cæsare, quanto magis animari debet Christianus in periculis, dum cogitat ipsum Deum præsentem esse? Id certe cogitabat David in omnibus suis periculis, ut patet ex Psal. XXII. ubi ait: *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*.

VII. Quæ causa denique est, cur ad bene operandum tam languidi et ignavi simus? Quia ad Deum operum remuneratorem præsentem non attendimus. Quis enim nesciat operarios in sui domini, milites in sui ducis præsentia existimulari ad laborem et pugnam? Patet in Juda Machabæo et commilitonibus: *Prostraverunt enim cum Nicanore tyranno dimicantes non minus 35000. præsentia Dei mirifice delectati*, II. Macch. XV. Unde S. Basilius, in reg. brev. interrog. XXXVII. quærit: « Qui piger est ad mandatum, quomodo is ita poterit excitari? Nempe si ei persuasum sit ubique Dominum Deum adesse, et omnia cernere, et commemorationem illam veram esse, quæ facta est adversus pigrum, et similiter contra spem magnæ futuræ mercedis ab illo, qui per Paulum pollicitus est, accepturum unumquemque propriam mercedem secundum laborem suum. » Hac ratione etiam sponsus revocavit ad se fugientem Sunamitidem, seu animam fidelem, et incitavit torpidam ad labores denuo resumendos et fervorem novum, solo sue aspectu, Cant. VI. et VII. Cum enim discedentem oclamasset: *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, ut intueamur te*, (scholiastes: *Intuebimur te, quasi in spectaculum*) mox subdit: *Quid videbit in Sunamite nisi chorus castrorum?* q. d. jam choreas ducit, et pæana canit, confortata aspectu meo, ut ibi advertit Jansenius. Ita milites, ins-

pectante duce, pugiles coram principe non tam pugnare, quam choreas ducere videntur: urget enim presentia Turni, Virgil. IX. *Aeneid.*

Quando igitur tantum obest e conspectu Dei egredi, vicissim adeo prodest in conspectu ejus continuo versari, non imitemur servum illum malum; non fugiamus cum Sunamite a conspectu sponsi nostri; vel si aliquando fugimus, iterum redeamus, ut et ipsi coram eo non jam laboremus in virtutum studio, potius saltemus, ut digni fiamus, qui postremo inter electos omnes ducamus in caelo choros castrorum interminabiles.

CONCIO IV.

DIGNISSIMAE QUAE JUVENTUR ANIMAE PURGATORII.

I. Quia sunt in statu valde calamitoso. — II. Quia seipsas juvare nequeunt. — III. Quia sunt sanctae et caeli haeredes. — IV. Quia fratres et sorores nostrae. — V. Quia ob solos poenae reatus captivae detinentur.

THEMA.

Misit eum in carcerem, donec redderet debitum.
Matth. XVIII.

Cogor, auditores, mendicare a vobis hodie largam eleemosynam. Sunt enim in quodam carcere teterrimo detenti quam plurimi Christiani; propter quaedam debita non adeo magna constricti. Sunt autem omnes nobiles et maximae familiae; quin etiam sunt propinqui et amici vestri. In eo vero carcere dire cruciantur, nec inde possunt egredi, ut aliorum opem implorent, unde solum expectant aliquos, qui ultro ad eos veniant opem laturi, per alios quid transmittant. Horum ego nomine vobis nunc supplico, auditores. Scire vultis qui sint isti? Sunt animae fideles, in purgatorio detentae, ob quaedam debita contracta et necdum persoluta. Sunt haec omnes nobiles, quia filii Dei, caelestis regni haeredes; sunt et propinqui et amici vestri. Carcer illorum non est ille, in quem servus nequam conjectus est, nunquam emersurus (hic enim infernum notat) sed ille in quem hod. evangelium asserit conjectum esse servum a conservo, pro centum denariorum debito. Ibi a severo iudice Deo, dure sane habentur, nec exire permittuntur, donec solvant novissimum quadrantem, nisi vos, Christiani, illis succurratis. Ergo aperite viscera misericordiae vestrae; sed audite primum quae dicam.

Dignissimae sunt haec animae, quibus succurratis, quibuscum potestis modis.

I. Quia sunt in statu calamitoso supra quam

dici potest, duabus gravissimis poenis, damni et sensus cruciatu. Illa excludit haeredes a deliciosissimo regno jam sibi parato et adjudicato; a parentis amantissimi aula et aspectu, uti Absalonem a conspectu parentis, quo in exilio mori potius quam vivere optabat, II. Reg. XIV. Excludit a suavissimo beatorum consortio, e jucundissimo caeli spectaculo, et continet in tenebris.

Haec affligit eas gravius quam quaevis poenae ss. martyrum, vel maleficorum, suppliciis addictorum secundum D. Augustinum, tract. IV. de vera et falsa poenitentia, c. XVII. S. Gregorium in III. Psalmo poenitentiae, Bedam, Anselmum, Bernardum, Thomam Aquinatem, qui addit etiam Christi patientis cruciatibus eam atrociorum esse, III. part. qu. XLVI. art. VI. ad III. siquidem de communi sententia ignis purgatorii non differt specie ab igne tartareo; qui agit non virtute naturali, sed ut instrumentum Dei. Jam autem eo gravius ferit flagellum, quo fortior est qui flagellat. Asinae maxilla in manu Samsonis occidit mille viros, quae in manu alterius nunquam potuisset vel canem unum mactare. Flagellum de funiculis factum in manu Christi ejecit oves, et boves, ac vendentes omnes e templo, quod in manu alterius vix puerum tenuisset. Unde Deuteron. XXXII. ait Deus: *Cum acvero ut fulgur gladium meum, gladius meus devorabit carnes.* Quis nescit quanta vis sit fulminis? Omnia penetrat, sternit, lacerat, liquefacit: sic Dei gladius.

Accedunt testimonia tum eorum qui poenas viderunt, tum qui experti sunt. Cuidam apud S. Antoninum, I. part. tit. V. cap. V. part. I. una hora in poenis purgatorii longior visa est aliquot annis; unde et reditum ad vitam impetravit, cupiens hic morbis exeruciari quibuscumque quantocumque tempore. Alius quidam redivivus in monasterio abbatissae Milburgae (ut scribit S. Bonifacius archiepiscopus et martyr in epist. ad Eadburgam abbatissam, quae est XXI. epist.) vidit in purgatorio animas velut in laeu sulphureo ardente demersas, quasdam usque ad talos, alias ad genua, alias ad umbilicam, alias usque ad asellas: inde tandem emergere purificatas, ut habetur in bibliotheca ss. patrum, tom. VIII.

II. Quia adeo inclusae et vinctae sunt, ut seipsas juvare, et e carcere illo liberare nequeant. Neque enim pro se jam operari possunt: quia venit illis nox, de qua Christus dixit, Joan. IX. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Sunt enim in termino. Neque ad nos vociferari, multo minus exire possunt, ut implorent opem. Rarissime

permittitur uni aut alteri, ut vivis appareat, et suffragia petat; et hoc propter alias etiam, quae non emittuntur, ut una omnium loco mortalium opem flagitet, sicuti interdum a Turcarum vinculis aliqui ad nos mittuntur, pro liberatione plurium. Nemo nescit potius succurrendum esse pauperibus, qui mendicare vel non audent ob pudorem, vel non possunt ob infirmitatem. Nonne Capharnitae hominem paralyticum, quia propriis viribus ad Christum venire nequibat, portarunt, et effractis tegulis submiserunt per ipsum tectum? Marc. II. Quid? Grues solent lassatas in volatu ac debiles viae comites alis sustinere, donec vires ex quiete recuperent, ut referant naturales historici, apud Aklrov. lib. XX. c. V. eiconiae suos parentes implumes fovent et succollant, teste S. Basilio, homil. III. Delassatae ac deplumatae sunt purgantes animae: suis viribus evolare ad caelum e vinculis illis nequeunt: insuper et caecae sunt, dum nesciunt, quousque in carcere illo detinendae sint. Et non praestemus illis quod bruta faciunt brutis?

III. Quia non sunt vilis aut servilis conditionis, sed omnes nobilissimae, omnes sanctae et innocentes, omnes filii et filiae Dei, haeredes regni caelestis, tametsi nunc in egestate, miseria et vinculis sunt. Quis autem talibus non compatiatur? Refert B. Petrus Damiani, in epist. ad Beatricam ducissam, quae est XIV. l. VIII. Guillem marchionissam iter per Italiam facientem vidisse in transitu basilicam; quam cum audisset appellari vulgo: « Ad S. Mariam pauperem, indignata nimis, et quasi nauseando fastidens: Absit, inquit, absit ut eam vochemus, pauperem, quae caelestis gloriae genuit largitorem. Absit, inquam, ut in terra pauperis sit digna vocabulo, quae super angelos elevata, divitias possidet immortales in caelo. Ac protinus intulit: Estne mei juris hic ulla possessio? Cui responsum: Est, quod haberet ibi villam in novem mansiones divisam. Hanc, ait, continuo jure Ecclesia ista possideat, eamque de caetero nemo pauperem appellare praesumat. » Sic ille. Animae purgantes filii Dei sunt; et tamen dum in purgatorio sunt, pauperes, imo pauperrimae sunt. Unde appellantur vulgo: *Pauperes animae fideles.* At quis ferat filios Dei esse et vocari pauperes? Quis non indignetur? Quis ex paupertate non continuo eos eripere contendat? Certum etiam, quo quis probior est, eo digniore beneficio esse, eoque melius id collocari: sicut semen in meliorem terram jactum, majorem fructum affert. At quia animae illae omnes sanctae sunt dignissimae igitur omni auxilio; quae etiam suo tempore fructum ferenti dabunt centuplum.

IV. Quia insuper fratres et sorores nostrae sunt. Quando Maria, soror Moysis, lepra ob murationem percussa fuit, ideoque separata extra castra in locum solitarium, quasi in leprosorium, septem diebus: *Populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria.* Num. XII. quasi non cessarint pro ea orare, donec sanata recipere, velut suae gentis feminam, ducis suae sororem. Fratres et sorores, ob admissa quaedam delicta, in purgatorium relegatae sunt: quid agamus nos? Dimittamus illos? Absit, sed stemus simul, nec moveamus pedem, donec omnibus tentatis modis, eos liberemus, alioquin confundent nos vel ipsae bestiae. Refert Lud. Granat. introd. in symb. canem in quodam monasterio sui ordinis alteri suo commilitoni praeforibus monasterii jacenti infirmo, panem ex monasterio raptum attulisse, et ad os deposuisse. Quis plus homo faceret? Pisces marini, ob similitudinem cuculi, monachi dicti, in Norvegiae oceano, si quem suorum captum et captivum abduci vident, tantum circa navigium edunt strepitum ac tumultum, quasi navim eversuri, ut non prius discedant, quam captivus dimittatur, teste Olao, l. XXI. c. XXI. c. I. Ecce ergo nos id non faciamus fratribus et sororibus nostris captivis in purgatorio? Gratus erit Deo, ne dubitemus, strepitus et tumultus noster, si per pia opera vim ei inferamus: imo hoc maxime quaerit. Denique, audiamus S. August. serm. XLIV. ad fratres in erem. « Clamat porcus, et cum eo clamare non cessant alii. Cedit asinus, et omnes eum sublevare festinant. Sed clamat in tormentis fidelis, et non est qui respondebit. Ecce inhumanitas vestra, fratres. » Sic August.

V. Quia ob nulla scelera, quibus jam inquinatae sint, (dimissa enim sunt) ibi detinentur; sed ob reatus poenae tantum, seu ob quaedam debita peccatis contracta, nondum persoluta. Non ergo patiuntur ut malefici, sed ut debitores. Ad haec multae animae ob res, nostro iudicio, levissimas in purgatorio detinentur, adeoque non talenta, uti servus nequam in hodierno evangelio, sed denarios dumtaxat aliquot venialium offensarum debent. Vitalina, virgo religiosa, quod sexta feria, qua Christus passus, caput abluere solita esset, S. Martino respondit se in purgatorio detineri, teste S. Gregorio Turonensi, in glor. confess. cap. V. Fursæus, ob acceptam vestem a moriente reprobo, apud Bedam et Sur. 16. jan. Ereboldus ob lac ex pecunia pauperum emptum, in vita S. Arnulphi, 15. aug. quidam religiosus juvenis ord. S. Dominici, ob novos soccos absque necessitate acceptos, apud Gerard. de Fracheto, in vitis pp. Praedic. Quare opus non est,